

1584.  
*CARMEN PROPEMPTICON,*

**INDISCESSVM**  
PIETATE INSIGNI, DOCTRINA  
ELEGANTI, LECTISSIMIS MORUM  
ORNAMENTIS, AMPLISSIMAq; PRUDENTIE LAUDE ORNATISSIMI VIRI D. ANDREAE SAROSII, POST FELICEM STUDIORUM SUORUM MERCATORAM, & PEREGRINATIONEM NON SINE GRAUI CONFILIO SUSCEPTAM, UTILITATE AUTEM SINGULARI PERACTAM, E CELEBERRIMA VVITEBERGENSIUR

ACADEMIA IN PATRIAM VNGARIAM RE-  
CURRENTIS, D. AC FRATRIS SUI CARIS-  
SIMI, SCRIPTUM

AB

ISAAC FEGVERNEKINO.

Anno nouissimi temporis

Matth. 8. ver. 25.

DISTICHON NUMERALE.

FLVCIBVS In peLAGI tVA Chrlste CarIna fatifCIT,  
Ergo ManV teneas LIntea tVia ratis.

Anno M. D. LXXXIII.

Andr: Sarosius Vngar: fratri suo Janib: Iacob:



Racia ludorum magno splendore frequen-  
tes  
Mercatus passim, quò tota venire solebat  
Terra Pelasga, suis agitabat in urbibus o-  
lim.

In quibus hos ver e simulacra leuisima  
laudis,

Corporis externi validis querenda lacertis,  
Vexabat miseros, popularis & aura regebat,  
Corpora quam propter præacute dura bipenni,  
Pranisq; neci dare dilanianda solebant:  
Sæcum hominum genus, & Libycis truculentius ursis,  
Quod propè de lana solitum certare caprina,  
Non secus ac taurus taurus commissus anhelus  
Corruit, indignam trahit & per vulnera mortem.

Illi venales quò possint vendere merces,  
Obstrepere Diuis periuria dira vomebant:  
Scilicet indigni specioso nomine & isti,  
Quos homines dicas, cum verius esse putentur  
Sordida collunies, quo fas patrare, nefasq;  
Pro libito nihili dicit, modò ventris obesi  
Pinguis aqualiculus, nullo prohibente repletus,  
Sollicita cura, vaga per molimina terræ  
Perreptata, maris vel littora perfida circum  
Congestis opibus posset traducere vitam.

Tertia classis erat, nulli, nisi conscius is sit,  
Cognita, liberior, quam non tangebat inanis  
Gloria, nec lucris inhiare solebat auaris:  
Huc illuc agiles verum voluebat ocellos,  
Obvia quæq; notans, imisq; infixæ medullis,

Omnia sollicito repebat pectore facta,  
Moribus atq; animum varijs tingebat honestis:  
Quin exempla bonos etiam condebat in usus.  
Noxia, quæ multis poterant dare damna videri.

Qualis apis dulci stipat dum necare cellas,  
Floriferas perpetrat opes, benevolentia prata,  
Et tenues auroras suauis cum murmure miscent,  
Rura colit, croceog; pedes onerante colore:  
Nunc his, nunc illis florentibus insidet herbis,  
Et succum, qui sit longè gratissimus, haurit,  
Seu sint lethiferae, seu sint felicius ortae.

Sic genus hoc hominum, quod honestum & inutile cernit,  
( Illud ad extemos habitabilis orbis alumnos,  
Sectandum, pariter fugiendum hoc pectore toto )  
Præcipit, & reserans Augusta oracula mentis  
Congestas dispergit opes, quibus indiget usus.

His hominum magnis conuentibus haud putat esse  
Absimilem vitam, que nobis viuitur ipfis,  
Pythagoras Samius, toto celeberrimus orbe:  
Huius enim tota mudi compage patentis  
Fame alios, alios fluxis seruire videbat  
Diuitijs, tereti quas Fors innixa cylindro,  
Haud præstans virtus, animi querenda labore,  
Largiri solita est studij peioris alumnis,  
Sed quos sollicitos variarum indagine rerum  
Improbam naturæ morderet cura latentis,  
Tanto de numero sapientum nomine dignos  
Paucos censebat, studijs melioribus auctos.

Tu quoq; fraterno mihi more colende sodalis  
ANDREA, Vngarie ( Dÿfaxint ) magna future.

Gloria,

Gloria, SAROS II Patria de nomen adeppe,  
Editus in lucem, quæ nos circumfluit omnes,  
Venisti in mundi speciosa theatra capacis,  
Sicut in Argolicam, totoq; wæv'nyg; orbe  
Collectam, simul ac in qua tibi contigit usus.  
Mentis, & humana rationis, & ore tenellam  
Imbellis blando formasti gutture vocem,  
Prouida te sacris dicat illico cura parentum,  
Ut quæ iudicio Samy laudatus ab acri,  
Ordo suis pedibus vestigia fixerat antè  
Insequerere, breuis donec tibi vita maneret,  
Seu sic Fatorum nunquam violabilis ordo,  
Seu sic poscebat propensa paterna voluntas.

Mercibus inde tuum, sola nisi Pallade dignis,  
Conserere ingenium, velut aruum semine pingui  
Incipis, Agricolas primis imitatus ab annis:

Illi vere nouo, niuibus, canisq; pruinis  
Depulsis, nimioq; gelu tellure soluta,  
Semina leta suis condunt prepinguib; aruis,  
Tandem maturas segetes ubi fecerit astas,  
Et Canis interso percoxit arua calore:  
Horrea triticea complent cerealia messe.

Sic tu, dum studiis melioribus apta bibendis  
Tempora prima fluunt, aciem de promis acutam  
Ingenij, & sulcis suppresso vomere factis,  
Instillas animo, atq; nouas in mente figur as  
Concipis, & molis fundamina prima futura,  
Intensis animi nervis in pectore condis.

Hec sunt illa tua feliciter indita menti  
Semina, facta seges, quæ certo tempore tandem:

A 3

Crucire,

Creuere, atq; suum mox perfundere colonum  
Latitia, laudemq; suo peperere perennem  
Agricola, fuluo qua sit preciosior auro.  
Hec animi cultura viam patefecit, ut istud  
Ingredenteris iter, Clarijs penetrabile Musis,  
Posthabitaq; leui celebrati nominis aura,  
Insano applausum vulgi captante furore:  
Divitiasq; quibus mens penè ex aestuat omnis,  
Querendi cœca flagrante libidine pulsata:  
( Quæ duo quam multis etiam modò corda fatigant: )  
His hominum emporys, totum amplectentibus orbem  
Emtori mercis tibi lata veniret opime  
Sors, & Castalia, Cane vulgo peius & angue  
Exoso, fluidum biberes de fonte liquorem.  
Ac velut in celebri per compita lata viarum  
Mercatu, cuini tentoria peruvia circum  
Plurima tenduntur preçiosa merce referta:  
Omnibus unus enim non est locus aptus emendis  
Mercibus, atq; penu non omnia suggesterit unum,  
Vestibus Attaliscis Tyrio subtegmine fultis,  
Sydoniæq; alibi saturata murice pallæ  
Materies, alibi maculosæ tegmina lyncis,  
Villosumq; lupi spolium, exaniq; leonis,  
Et quæ præcrea nobis mora longa referre est,  
Venduntur patulis camerata in fornice portis,  
Atq; alijs alius vendendis mercibus adstat  
Institor, ut quosuis inuitet voce procaci.  
Haud aliter Diuæ clarissima dona Minerue  
In studiis contenta sacris, & in arte magistra,  
Non uni solum, licet is sit mente sagaci,

Sunt

Sunt adstricta viro, gentiq; urbiq; locoq;  
Libera, sed claro sub utroq; iacentia Phæbo  
Regna petunt, & quas lucente occasus & ortus  
Lampade subiectas calo circumspicit oras,  
Nullo vincita iugo, nec fune ligata pererrant,  
Et tanto quas est dignata Minerua fauore  
Nunc his, nunc illis, plenissima mercis opima  
Sedibus, auratis trabibus tentoria figit.  
Hellada credibile est ( testis si est aqua vetustas )  
Hospitium doctæ fidum tribuisse Minerua,  
Squalida cum facie viridante priore relicta  
Turba vagaretur pañim errabunda Sororum.  
Cumq; suum ad Graios ore, ingenioq; valentes,  
Sublatum toto transferret munus ab orbe.  
Tunc primum celebris rupere silentia fame  
Oppida in Argolicis regalia condita terris,  
Et quæ tota patet terra ardua machina multis  
Nobilitata viris tunc accepere trophæa.  
Hoc Plato Cecropius dininum fonte liquorem  
Hauserat, hoc meruit nunquam deleibile nomen.  
Hac & Aristoteles Stagiræus merce Minerue  
Ditatus fuerat, Samius sua dogmata in iphis  
Emorat emporiis: Hac mercatura disertum  
Fecerat Ascreum vatem, per membra quietem  
Montis Apollinea capientem per iuga summa.  
Non erat his expers opibus diuinus Homerus,  
Multi iuga historiæ vastum pelagusq; parensq;  
Castra securorum qui millia multa Dearum,  
Pascit adhuc hodie, letho licet obrutus atro.  
Hæc nundinarum magna est quoq; copia facta,  
Euripiæ,

Euripidi, atq; alijs celebres, quos fecit in orbe  
Ingenium, virtus, vis, eloquiumq; disertum,  
Treicia patulam qui compleuere Poësi  
Solis utramq; domum, quam fert occasus & ortus.  
Palladis hædotes, mercisq; fuere propole  
Illo, quo fuerat nullum felicius auum,  
Tempore, quoque viri multi viguere potentis  
Non minus eloquio, quam mentis acumine clari,  
A quibus est veluti doctrina canalibus omnis  
Utilis humano generi diducta per orbem.

Hec quoq; Castaliq; fontis, Graciq; liquoris  
( Seu quia sic fatum, seu sic voluere Sorores )  
Irrigat imperium tandem scaturigo Latinum,  
Romuleamq; urbem, domiti caput orbis, & agros  
Ausonios, patria patris hoc Ciceronis ab imbre  
Hortus, & eloquij diuino flumine rincta  
Lingua diserta fuit, Patauinaeq; urbis alumnus,  
Conditor historiae natorum e gente Quirini,  
Virgilius, Naso, Iuuenalis, Horatius, Aulus  
Persius, & quorum manibus monumenta teruntur,  
Hac omnes patula merces emere taberna.

Sed ne longa sis ista iam tolerata per annos,  
Conficeret gentes alio sub sydere natas,  
In tua Pierides, Germania, regna Sorores,  
Atq; tuas merita celebranda nepotibus urbes,  
Gallia, diues agris, sed acumine ditior ipso.  
Et quas nunc fidei commendat purior usus  
Cum fida Charitum transmigravere corona.  
Hinc latus Aonidum passos hirsuta capillos  
Intemerata fides, illinc facundia lingue

Hebreæ

Hebraæ veteris, Graiae, Latiaeq; diserte  
Cingit, ponè fugæ, posito splendore priori  
Accincta lumbis, artes comitantur eentes.  
Non secus ac calidis examina densa diebus,  
Aera per medium magnum glomerantur in orbem,  
Ductoremq; suum mox non inuita sequuntur.

Tandem naufragio & puppis quassata Dearum,  
Pannonis in columnis fatas quoq; venit ad oras,  
In quibus hoc etiam, quamuis fera bella minentur,  
Tempore diffcili, fida statione potitur.

His tibi in emporijs primum, cultissime frater,  
Empta fuit patrijs merx ingeniosa Minerue:  
" Emporium Patachina fuit schola, merx fuit artes,  
Institor, Vngaria columnen dum fatas sinebant,  
Fabritius, cuius leuiter nunc ossa quiescunt.  
" Hinc opus incepsum clarissimus ille Michaël  
" Paxius, extreum cuius laus venit ad orbem,  
Et Cæsar, Patria iam iam decus ille ruentis,  
" Cæsar, Pieridum laus & tutela Dearum,  
Excipit: hinc Paulus Szegedina gloria terra,  
" Matthiasq; vicem supplent Thoraconymus, ambo  
Eximij, vigiles, & Palladis arte politi.

Ille quidem patriam, cœlestia regna, petinit,  
Hic verò, dubium est, utrum maiore labore,  
An fructu, incepsum videatur ducere pensum.  
Asiduus, pretium, labor est, conceptaq; vota,  
Fama virens, animaq; salus, laus, gloria, lucrum.

Sed quia Castalidum merx est peregrina Sororum  
Dulcior, aut alijs forte est opulentior oris,  
Vadis iter, patriaq; procul tellure remotus,

B

Germanas

Germanas perquiris opes, & ad Albidos vndam  
Tergemino cinctus Kazæo fratre Ioanne  
Pergis, Leucoream salvusq; appellis ad urbem,  
Huc, ubi Martini primum tuba fida Lutheri  
Insonuit, duce quo, fido auxiliante Philippo,  
Corruit Hesperi blasphemæ potentia Papæ.

Et iam signa suo bis Sol numerabat in axe,  
Cum te sollicito voluenter pectore lapsos  
Temporis articulos, huncquam saturata libido,  
Ingenio prestante viros, urbesq; videndi  
Incepit, rapidisq; iubet dare carbasa ventis,  
Hisq; vetat nostris nobiscum viuere in oris.

Perge (nec inuideo) Christo duce, purpureum ver  
Suadet idem, Frater Thesæo iuncte fauore,  
Carpe viam felix, Vitum, fratremq; Ioannem  
Tergeminum medium, nostra à regione remotum,  
Saluere, atq; mei quondam meminisse, iubeto.


Et cum non parua voti sit parte locandum,  
Eximios vidisse viros, quos fertilis etas  
Nostra tulit multos, quibus est merx sacra Minerua  
Credita: donando rude quos tibi clara Tbinga,  
Aut Tigurum dederit, per amica voce saluta.

Posi ubi longa via cæperunt tadia mentem,  
Præclarosq; viros, urbes, opulentaq; regna  
Lustrasti, populos, mores, & iura togata  
Cognosti, & magno postquam merx multa labore,  
Est tibi in ignota cæli regione coemta:  
Ad nostros iterum lasso pede flecte penates,  
Lora frementis equi, nostrasq; reuertere ad oras  
Incolumis, patriamq; tuam (sententia sifat,

Et si

Et si fata verant studia ultrà iungere nostra)  
Pannoniam, niuea cinctus comitante caterua  
Cælico'um, dextro pete numine, & omne dextro,  
Ut quos imprimis tua mens desiderat, omnes  
Conspicias saluos, & opima pace fruentes,  
Et quas diuerso peregrinus in orbe parasti  
Diuitias, longo diffundere tempore possis.  
Ut tibi fortuna meliore, & honoribus aucta,  
Cum datur hinc patrios cursum mihi flectere ad agros,  
Gratuler, antiqui & fædus renouemus amoris.

Interea patriæ (quid enim nisi vota feramus)  
Perge, fauente Deo, saluum te siftere, perge.



T V B I N G Æ,  
Apud Alexandrum Hockium,  
M. D. LXXXIII.